

morbo interiit. Ita subtractus bellis & sepulchro conditus Euboico, fidem fecit oraculo.

IDEM.

NEro Cæsar portendi sibi mutationem status, à Mathematicis acceperat, qui in hoc concordēs, in eo discordabant; quæ nam fortuna Imperio deiectum exciperet. His æger Delphicum oraculum experiri statuit, sic enim sibi visum est, ab hominum, hæsitationem suam ad diuinum consilium traducere. Inde sibi responsum est. Annum LXXIII. caueret. Quod cum audisset, homini inconsiderato, & vix tricesimum ætatis supergresso, tanta securitas inceserat, ut iam nihil metuens, & prosperitatem & ætatem sibi integram, sponderet, quasi ante prænunciatum tempus ab Apolline, mori non posset: eodemque vanitatis & insolentiæ raptus est, ut pretiosissimis quibusdam rebus, maritima tempestate deperditis, affirmaret eas ad se vel piscium obsequio reuersuras. Talibus intumuerat erroribus, cum subito ab omnibus destitutus, & ad turpissimam compulsus est mortem, utique consiliario dignus Apolline, quamuis mendacij pa-